

cidat, nobis jam non vacat ostendere, nec etiam quoniam ad eum modum infiniti, qui nostro scopo inserviet, non pertinet, in eâ morabimur.

Th. VII. Denique aliud est infinitum simpliciter sive essentiâ. Pro Synonymis enim ferè habentur, infinitum simpliciter & infinitum essentiâ. Vid. Comptonum Carleton. c. I. n. III. Dicitur etiam Infinitum in perfectione (sc. essentiali) & aliàs quoque Infinitum quoad substantiam, nec non infinitum entitativè sumptum vocatur. Vid. *Rod. de Arriagâ cit. loco.* Quæ acceptio etiam potissimum scopo nostro inserviet, quia hoc modo acceptum infinitum omnibus creaturis denegatur, solique Deo competit.

Th. IIX. Ut autem eò meliùs & feliciùs progredi liceat, dispiciendum erit, in quonam convenienter ratio formalis infiniti hujus acceptionis consistat. Id verò antequam faciamus, videbimus in quonam multi Autores falsò rationem formalem infiniti hujus posuerint.

Th. IX. Sunt itaque, qui rationem formalem infiniti secundum essentiâ collocant in hoc, quod non receptum sit in essentiâ finitâ seu materiâ, sed sit per se subsistens, finitique esse consistere in hoc, quid ferè receptum sit in essentiâ tanquã in potentiâ passivâ & receptivâ. Ex quibus est *D. Thom. 1. p. quest. 7. a. 1. referente Suvarezi dissp. Metaph. Tom. poster. XXX. Sect. II. n. XIIX. & XIX.* Sed hæc sententiâ minimè accipienda videtur, adeamque destruendam statim potest afferri instantia: Angelus enim irreceptus in essentiâ finitâ, etiam per se subsistit, quia est substantia, neque tamen exinde sequitur. E. Angelus est infinitus secundum essentiâ. Vide hanc sententiam quoque rejectam & refutatam n. XIX. c. I.

Th. X. Deinde aliorum sententia est, rationem formalem infiniti simpliciter seu in essentiâ poni in duratione à parte ante & à parte post, ut loquuntur Scholastici. Verùm stante hæc sententiâ, infinitum aliquod non secundum essentiâ, sed tantum aliquod attributum ex essentiâ illius fluens, quod hîc est duratio, constituitur. Deinde videtur etiam absurdum inde erui posse, nempe quòd hoc modo etiam quædam creatura posset dici infinita simpliciter & secundum essentiâ. Si enim Deus aliquam creaturam, e. g. Spi-